Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Albert Willebrand

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D. Cod. Prof. ... Ad Exequias Quas ... Virgini Euphrosynae Gulen/ Filiae suae desideratissimae ac obsequiosissimae, Moestissimi parentes, ac luctu madidi. Hodierna hora 1. in Templo B Mariae, decenti, & recepta funebri pompa apparabunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat

Rostochii: Kilius, 1660

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523884

Druck Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Willebrandt, A.,

in E. Gul.

R. 1660.

57.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523884/phys_0001

DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777523884/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523884/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777523884/phys_0004
DFG

PROGRAMMA
Quô
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrandt/ U.J.D.
Cod. Prof. & Ducal. Conſiſt: Aſſeſſor,

AD

EXEQVIAS
Quas

Piæ, modeſtiſſimæ, ac omnium muliebrium virtutum decore maximè conſpicuæ Virgini

EVPHROSYNÆ
Gulen/

Filiæ ſuæ deſideratiſſimæ ac obſequioſiſſimæ.

Mœſtiſſimi parentes, ac luctu madidi.

Hodiernâ horâ I. in Templô B Mariæ, decenti, & receptâ funebri pompâ apparabunt,

Omnes omnium ordinum Cives Academicos ſedulò & amanter invitat.

ROSTOCHII,
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1660.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777523884/phys_0005
DFG

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrand/ U.J.D.

EFferemus hodie, proh dolor! funus verè luctuoſiſſimum, & acerbiſſimis lacrymis proſequendum: efferemus, inquam, hodiè funus, magis tædis antehac, quàm nunc feretro aptum. Efferemus funus virginale, omnibus virginibus dolorificum; omnibus juvenibꝰ & procis infeſtum, omnibus bonis, & maximè mœſtiſſimis parentibus, & propinquis grave ac acerbum. Verùm nullus hic dolor attenditur, in vanũ querelæ audiuntur, pectora fruſtrà tunduntur, capilli inſulsè ſcinduntur, thorus inutiliter inclamatur, mors has ad unam omnes elevat querelas. Mors rectà pervagatur omne mortalium genus, à ſummis ad imos ſarcina decurrit, rejectâ omni ordinis, ſtatus, dignitatis, ætatis, ſexus conditione, obvios quosvis acutâ falce demetit & ſecat. Hæc non attendit formoſum juvenem, cincinnos in figuras torquẽtem; hæc non curat agiles manus, flexiles pedes, & infinita politicorum hodiernorum complementa, ſeu inciviles civilitates: Hæc non moratur robur ac fortitudinem, ſed æquè fortiſſimum, ac imbellem ſternit; æquè reges & Principes throno & ſceptris privat, ac miſellos ruſticos tugurio, & ſtramineâ caſâ: Hæc doctos æquè, ac indoctos, claros pariter, & obſcuros rapit, ac cadaveroſâ facie intuetur. Hæc pulchras pariter & deformes in naſſam ſuam trahit; Elegantes œconomas, non ſecus ac iner-

tes, &

tes & domi ſtertentes fucos, nullis utiles, multis a. graves è medio tollit. Ditibitorium ejus eſt univerſale, nulla hîc plaga mundi excipitur; permeat modò Aſiam, modò Africam, modò Europam, modò Americam, & omnes nobis incognitas terræ partes. Proditū eſt literis ab Ariſtotele, omnium judicio maximo Philoſopho, & in Practicis diſciplinis omnibus palmam præripiente, *in lib. de mirabilibus auſcultationibus*, apud Celtas venenum reperiri, quod ab iis populis Xenicum, ſ. Toxicum appellatur, tantâ pernicitate inficiens & necans, ut venatores, cum tincto jaculo cervum, aliamve feram percuſſerint, feſtinanter accurrant, ſauciatamque carnem exſecent, ne ſi virus permeet, animal putreſcat, & inutilis alimento caro reddatur. Permagna quidem hæc Celtici pharmaci, ſ. veneni (quod bonum pariter & malum eſt *L. 236. D. de V. S.*) vis eſt, ac formidoloſa: Sed multò pernicioſius ſpirituale virus illud à primis hauſtū parentib⁹, ut ex libris abſtruſæ, rationique noſtræ penitus admirabilis, & reconditæ ſapientiæ revelatæ divinitus conſtat. Non enim corporum noſtrorum duntaxat ſingulos artus, verùm etiam facultates inferiores animæ, ſuperioreſque pervadit, & plurimorum hominum perceleri interitu indies comprobatur. Nuper diverſas luximus puerperas, juvenes uxores, infantes, denſata inſimul fuerunt funera optimorum juvenum ſtudioſorum, & caſtiſſimarum virginum. Hinc tot querimoniæ, totq; lamenta manarunt de humanæ vitæ fugacitate, non ſolùm in ſacro Codice nobis fontem tantæ, tamque acerbæ luis aperiente: ſed & in autorum profanorum literis. Ut a, à Celtis inventum fuit inter cæ-

tera

tera antipharmacum, folium aliquod, quod Coracium vocant: ſic vehementiori veneno, noſtriq; corporis & animæ velut internecioni contrarius, Dei bonitate immensâ, longè potentior etiam ſurculus ex radice Iſai pullulavit atque effloruit, geminæ Gigas ſubſtantiæ, tàm æterno patri, quàm intemeratæ virgini matri verè conſubſtantialis, ut cum Synodo Nicænâ conſtanter Eccleſia confitetur. Hunc ſalutarem ſurculum, ceu præſentiſſimum antidotum, qui verâ fide apprehendunt, etiamſi corporis hujus exuvias cogantur abjicere: tamen minimè ſempiternis ultricium flammarum ſuppliciis mancipantur, & plumbatarum ictibus lacerantur, quas fuerũt meriti, ſed in omne ævum Dei conſpectu, cœleſtiq; beatitudine perfruũtur. Hujus primævi mali vim heu dolor! floridâ in juventâ experta eſt piè defuncta noſtra EVPHROSYNA, quæ verè fuit matris ἐυφρέσυνον, gaudium & delectamentum, uti nomen importat; auxiliatrix hæc altera matri manus fuit, hæc mutuas operas tradidit in omnibus domeſticis negotiis; hæc nendo & fila trahendo tempus exegit, & non emiſsitiis oculis, oculiferia celebrando, & prætereuntes obſervando, ut fieri ſolet, idem conſumpſit: Hæc matri fuit obſequentiſſima, Hæc verè fuit in otio negotioſa, nec minus ſola, quàm cum ſola; hæc παρθένος legitimè dicta, quod cum matre ſemper moretur, domi maneat & curet res domeſticas, quemadmodũ apud Homerum Andromachæ & Penelopæ præcipitur; *Quin in tecta abiens tua propria munia cura.* Et mos ille adhuc hodiè alicubi durat, ut ante nuptias in publico non conſpiciantur, maximè præcipuæ originis, uti

in

in Perſiâ, & alibi: Virgo rectè veteribus Menandros dicta, quod domi expectet maritum, quemadmodum id refertur à ſummis Philoſophis. Quinimò conſtat apud Athenienſes olim puellas urſas vocari ſolitas, quod urſæ ſe cohibeant ſuapte naturâ, intra frutices & ſpelæa, raròque conſpiciãtur & prodeant, niſi quantum pabulationis gratiâ prodire coguntur. Et nihil horum condignè dicitur, cujus ſpecimen piè defuncta noſtra ſuo exemplo non ediderit. At moriendum ei fuit, eâ lege nata eſt, ut vocanti Domino aſſurgeret, eiq; pareret. Etſi in hoc mundo, diutius per Dei voluntatem ſuperſtes parentibus relicta fuiſſet, marceſſibilem coronam, & mundanum ſponſum ſuo ſtatui & ordini cõvenientem eligere potuiſſet; tamen jam ærea, cum Glauco & Diomede, aureis permutavit, & loco marceſſibilis, immarceſſibilem coronam nacta; pro mundano cœleſtem ſponſum Chriſtum JESUM, omni copiâ & abundantiâ rerum ſcaturientem, cum vigilantibus & ſapientibus virginibus invenit. Huic in occurſum rapta, in hujus amplexibus hæret, & infinito ipſius ſalvatoris amore languet, jubilat, ac triumphat. Si familiam & avitum inclytumq; majorum genus ſpectes, longiori vitâ Elegantiſſima noſtra defuncta digna fuiſſet. Magna quippe benedictionis ſpecies eſt familiæ propagatio, & prolifica in ſtirpes deductio: quippe ſpecies rerum per eam conſervantur: maxima a. è contrario pænæ correptio, familiarum deſtructio. Quoniam a. *teſte Salomone*, memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet, utique ab ultimis principiis, familiam defunctæ noſtræ brevibus repetemus. *Nata eſt autem beata*

noſtra

noſtra, Virgo præclaræ indolis, caſtitatis & morum exemplar EUPHROSYNA Gulen hîc Roſtochii, Anno currentis ſeculi, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo 18. Julii, tempore veſpertino circa horã decimã. Pater ipſi eſt, Eximius ac inter cives præcipuus, Dn. Johann Gule/ Sedecim vir, & civitatis Capitaneus vigilantiſſimus, vir bonus & juſtus, magis ad ſuſtinendũ injurias, quàm aliis inferendum natus, qui unà cum p. d. matre, piâ, honeſtisſima ac modeſtisſimâ AGNETA Kichlers/ acerbisſimis lacrymis præſens, ipſisq; luctuoſiſſimum funus, dilectiſſimæ filiæ, proſequuntur. Avus paternus extitit Dn. BALTHASAR Gule/ præcipuus civis & Patritius Roſtochienſis. Avia paterna extitit Dn. ANNA Groten/ inſignis pietate, & aliis virtutibus matrona, & hinc omnibus chara, & vehementer adamata. Proavus ipſius fuit Ampliſſimus ac Prudentiſſimus Dn. BALTHASAR Gule/ Conſul hujus olim Civitatis meritiſſimus. Proavia ei fuit Dn. ANNA Kirchhofes/ ex perantiquâ, & trecentis & ultra annis decantatâ KIRCHHOVIORUM familiâ oriunda, ſoror germana duorum orbis luminum, & exquiſitiſſimorum JCtorum Dn. LAURENTII, & D. LAMBERTI KIRCHOVIORUM, quorum alter Sereniſſ. Ducis Megapolenſis Conſiliarius inclytus; alter Juris Anteceſſor incomparabilis cluebat. Quorum pater, avus & proavus, ejusdem prænominis BARTHOLDI jam ante trecẽtos annos conſulari infula ordine ampliati fuerũt. Avus maternus defunctæ noſtræ fuit, Dn. BARTHOLDUS KICHLERUS, JCtus Excellentiſſimus, & Sereniſſimi Principis Megapolenſis Conſiliarius maximè conſpicuus, & nominatus. Avia materna fuit, pia ac honeſtiſſima Matrona AGNETA Klingen/ virtutibus muliebrem ſexum decentibus

nemini

nemini ſecunda. Proavus maternus inſimul eidem fuit, Ampliſſimus, Conſultiſſimus DN. BARTHOLOMÆUS KLINGE, *J. U. D. & ejusdē in hac Academia P. P. celeberrimus. Proavia materna fuit, Fœmina antiquâ virtute & fide omniq; laude cumulatiſſima* MARGARETA Krons. Ex hac pervetuſtâ & nobiliſſimâ familiâ hæc p. d. originem & natales duxit, qui meritò omnibus ſuperſtitib9 elegans imitationis præbebunt exemplum. Quamprimum a. hæc noſtra denata hujus lucis uſuram ingreſſa, mox per ſanctum baptiſmi lavacrum renata, & arbori vitæ Chriſto JEſu inſerta. Ubi adultior facta, legendo & ſcribendo operam dedit, & paulatim rei domeſticæ aſſuevit, nihil horum omittendo, quæ virgini ornamento eſſe poſſent, ut inde non ſolum mœſtis parentibus, ſed omnibus agnatis, cognatis & affinibus grata & accepta fuerit. Verùm, quam DEUS dilexit, mortua juvenis, & maturè conſenuit, ne ſtultitiâ mundanâ infſcaretur. Factum itaq; eſt pro invariabili voluntate divinâ, ut prædicta noſtra beata EUPHROSYNA, 22. Junii in morbum, eumq; lethalem inciderit, cujus initium indeſinentibus catharris, totum corpus inundantibus, Excellentiſſimus ac Experientiſſimus DN. D. Würdig/ P. P. Collega noſter honoratiſſimus, aſcribit, quos tandem acuta febris inſecuta, & ultimū vitæ filum, cum maximo ſuorum mœrore abrupit. Cum a. ultimum diem ſibi iminere ante videret, & languidiſſima membra certam mortis inſecuturæ indicium exhiberent, ad ſe vocari rogavit Pl: Rever: atq; Excellentiſſimum DN. JOHANNEM QUISTORPIUM, Th. D. P. P. & ad D. Jacobi Paſtorem vigilantiſſimum, patrem ſuū confeſſarium, collegam, & affinem

affinem noſtrum pl. dilectum, & viatico extremi itineris, corpore & ſanguine JEſu Chriſti in remiſſionem peccatorum munita, 6. Julii placidè in Domino obdormivit, años nata novendecim, minus duodecim diebus. Et qui olim Natalis p. d. fuit hicce menſis Julius; idem eidẽ per contrapoſitionem nunc fatalis fuit. Hac cygneâ a. cantione jam agonizans ſæpe uſa eſt, ut circũſtantes audiverũt: Weg mit allen Weltlichen Schätzen; Mein JEſus ſoll mich ergetzen: & deficiente lingua, nihil tandem ſonuit, niſi: HErr! HErr! in quibus finiit, & expiravit; aliis ſui ſimilibus verum vitæ exemplar, quod imitentur, relinquendo. Tu v. optime, candide, & mœſtiſſime parens, affinis honoratiſſime, & tu pia pariter ac modeſta mater, doloris plena, agnoſcite cum Anaxagora, vos mortalem produxiſſe gnatam. Temperate juſto dolori, & æternam quietem, & infinita gaudia novæ nuptæ in cœlis non invidete: Mors & exilium, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos vobis quotidie verſentur, omnium v. maximè mors. Sic nihil unquam humile cogitabitis, nec impensè cupietis quicquam. A vobis verò, Academiæ cives, amicè contendo, ut huic piæ, & elegantisſimæ Virgini frequentes exequias eatis, & hoc avitæ ipſius gloriæ, & inſignibus Academiæ olim Antiſtitibus largiamini, & hoc ipſo humanitatis officio exquiſitiſſimos dolores mœſtiſſimis parentibus minuatis, veſtræque mortalitatis cum tremore memores vivatis.

P. P. Roſtochii, ſub ſigillo Rectoratus, X. Julii A. C. 1660.

Conventus fiet hodie horâ primâ in Templo D. JACOBI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777523884/phys_0013
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777523884/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777523884/phys_0016

nemini ſecunda. Proavus maternu[illegible]*dem fuit, Ampliſ-*
ſimus, Conſultiſſimus DN. BART[illegible]ÆUS KLIN-
GE, J.U.D. & ejusdē in hac Acade[illegible]*leberrimus. Pro-*
avia materna fuit, Fœmina antiqu[illegible] *fide omniq; lau-*
de cumulatiſſima MARGARET[illegible] Ex hac pervetu-
ſtâ & nobiliſſimâ familiâ hæc p[illegible]nem & natales
duxit, qui meritò omnibus ſupe[illegible]gans imitatio-
nis præbebunt exemplum. Qu[illegible]m a. hæc noſtra
denata hujus lucis uſuram ingr[illegible]per ſanctum ba-
ptiſmi lavacrum renata, & arbo[illegible]iſto JEſu inſer-
ta. Ubi adultior facta, legendo[illegible]do operam de-
dit, & paulatim rei domeſticæ a[illegible]l horum omit-
tendo, quæ virgini ornamento[illegible]ne, ut inde non
ſolum mœſtis parentibus, ſed o[illegible]natis, cognatis
& affinibus grata & accepta fuer[illegible], quam DEUS
dilexit, mortua juvenis, & mat[illegible]uit, ne ſtultitiâ
mundanâ infeſcaretur. Factu[illegible] pro invariabili
voluntate divinâ, ut prædicta n[illegible] EUPHRO-
SYNA, 22. Junii in morbum, eu[illegible]em inciderit,
cujus initium indeſinentibus ca[illegible]um corpus in-
undantibus, Excellentiſſimus a[illegible]ntiſſimus DN.
D. Würdig/ P.P. Collega noſter h[illegible]mus, aſcribit,
quos tandem acuta febris inſecu[illegible]nū vitæ filum,
cum maximo ſuorum mœrore a[illegible]m a. ultimum
diem ſibi iminere ante videret, &[illegible]iſſima membra
certam mortis inſecuturæ indici[illegible]rent, ad ſe vo-
cari rogavit Pl. Rever. atq; Excel[illegible]m DN. JOHAN-
NEM QUISTORPIUM, Th. D. P P. &[illegible]obi Paſtorem
vigilantiſſimum, patrem ſuū co[illegible], collegam, &
affinem